DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIII. MARTII,

( ) M. FRANCISCO MANDAT, Doctore Medico Præside. ( )

An eadem viuendi ratio ſanis perpetuò ſeruanda? 1020

CONVENIENTI viuendi ratione, quæ ſex rerum non naturalium vſu continetur, non aduerſam modò valetudinem præcauet propulſatque: verum-etiam ſecundam tuetur ac retinet Medicus; ſed aliâ & aliâ via: vnde in duas partes, quæ victu curat, Medicina diuiſa eſt: Ita tamen vt plerumque vnum idemque præſidij genus adhibeat expugnandis morbis, tuendæque ſanitati, ſed quo dum contrarium eſt, illos depellit; hanc ſeruat, dum ſimile. Quapropter inanis medentis opera, niſi ad vnguem teneat corporis humani naturam, & propriam cuiuſque temperiem, morborum, cauſarumque à quibus ortum habent diſcrimina, tandemque alimentorum dotes manifeſtas, & tacitas, ſæpe vel in eadem ſpecie pro vario cælo ſoloque longè diſſimiles. Quos ergo ſola experimenta ſuſtinent, ab his fortuita omnia, certum nihil expecta: quisquis autem cuncta illa in numerato habuerit, acriorique iudicio ſcitè inter ſeſe contulerit ac æſtimarit; is cęteris palmam in medendo eripiet.

QVANTI ſit ad meliorem vitam momenti rectè inſtituta viuendi ratio, argumento ſunt penè innumeri ab omni memoria homines, qui huius vnius ope, ſpretis alijs Medicinæ partibus, perpetuò valuêre, & ad extremam vſque ſenectutem peruenêre. Quin è veteribus aliqui primæ notæ medici, eâ ſolâ veluti clauâ, tot monſtra morborum, qui in hominum genus graſſari ſolent, debellari poſſe contenderunt. Certè quidem abſque ea nihil vnquam auſpicatò geſſeris. Quamobrem quò cuiuſque valetudo pluribus eſt offenſis obnoxia, hoc diligentiùs eſt ſeruanda: Inde in ægrorum victu ferè nullum non graue peccatum admittitur: nam ſi in ſanis conſiderandum quod cęlum, quod tempus anni ſit, quæ vis alimenti, quæ corporis; multò magis in ægris. Vide vt vel probati ab omnibus cibi temerè atque intempeſtiuè oblati febrem alijs exaſperarunt, alijs protraxerunt, alijs pręſentiſſimam mortem conſciuerunt: vt è contrà ſcitè captatâ occaſione exhibendi ſeu vini, ſeu jurulenti cibi, reuixêre qui mox efferendi videbantur.

SANORVM vt non vnus eſt ordo, ita nec eadem debet eſſe victus ratio cui omnes perinde adſtricti teneantur; infirmæ valetudinis homines, qui in morbi confinio propè ſemper verſantur, non minùs egent monitore Medico, quàm aſſiduis fluctibus & procellis jactata nauis perito gubernatore: ſani, ſed imbecilli ſtomacho aut quauis alia parte, quo in numero ſunt magna pars vrbanorum, omneſque cupidi literarum, ad ſuum ſint attentiores victum; vt quod vel temporis, vel loci, vel ſtudij ratio detrahit: cura reſtituat. Quorumdam ſanitas Fortunæ ſimilis eſt, tunc cum ſplendet, frangitur: atque hi niſi fiduciâ ſecundæ valetudinis ex improuiſo opprimantur, ſuo quoque auſcultent Medico; qui verò è meliore luto ficti ad naturales actiones nunquam non bellè ſe habent, & ad omnes voluntate ſuſceptas prompti ſunt & alacres, qui ſolidum & ſucci plenum corpus à natura obtinent; quid cauſæ eſt, cur vllis ſe obligent legibus? ſana omnia, ſanis atque valentibus. Quo pacto medicorum opem meritò implorant dubiæ valetudinis homines: ſic ijs tam facilè robuſtiores caruerint, quàm, qui ſatur eſt, cibo.

NVLLA eſt in victu lex tam conſtans, & ab omnibus fixa Medicis, quæ non poſſit aliquando refigi impunéque violari; ijs nec quoduis cęlum, nec quiuis probarur aër; at quàm multis toties ſubinde mutatus totoque orbe tractus, nihil planè nocuit: non pauci delicatuli ſolem paſſi inurentem, mortem oppetière; fortè quia neque Orientem, neque Occidentem vnquam viderant; eiuſdem radios cęteraſque cæli iniurias, quis nauta, quis meſſor non ſtrenuè ſuſtinet. In alimentorum cenſu, ſi Medicum audias, pluribus repudiatis, pauca in vſum venient: at hęc ipſa damnata, foſſori in delicijs ſunt, fouentque lacertorum robur. An à ſecundis menſis, variiſque ferculis metuendum? vt in debili ventriculo coaceſcant, nihil nocent firmo. Vino parciùs vtendum, ſcilicet? dubium pluribuſne profuerit eſſe abſtemijs, aut vino paulò plus deditis. Duriorne intemperantia in potione, quàm in eſca? Satiúſne bis de die, an ſemel cibum capere? de vtroque iure ambigitur. Laudatur ab omnibus abſtinentia; bene eſt, rem ad calculos voca, tum demum intelliges quot hominibus perniciem attulerit, quàm multis ſit inutilis, quàm multis ſit aduerſa ętatibus: attamen vitanda ſatietas, imò nec ex toto condemnanda, iuuat aliquando rapi extra metas neceſſitatis, pręſtatque pleno, quàm exinanito corpore ęgrotare. Periculoſum à cibo meridiari; ſed & periculoſius, ob inopiam caloris ingeſtum alimentum inquinari. Cautè vtendum venere, ita ſi citra libidinem exercerur, nec ipſa ſibi modum ponit Natura: Si non ſunt rariores querelæ & morbi coniugum à nimia, quàm virginum, ex nulla. Ocium, ne corrumpat animum, effœtumque corpus tradat ſenectuti; ſedulò fugiendum· hem quantus ocioſorum numerus, qui & cute benè curatâ, & toto corpore nitent: & quideſt quòd tantopere illi labor anteferatur; ſi modò ab hoc quoque eſt ingenium omne procliue ad libidinem; adeo verum eſt in arte humanæ ſalutis pręſide, vix quidquam perpetuum reperiri.

MISERA igitur eorum vita, qui vni viuendi inſtituto, velut ſaxo alligati continenter adhęreſcunt, quomodo tempeſtatum anni: ſic aliarum rerum, grata mutatio, gratæ vices. Qui id vnum, in vita ac victu adprime vtile tenuerit, vt ne quid nimis. Qui rerum non naturalium vſum, neceſſitate appetituque minimè mendaci definierit. Qui denique rationem moderationémque ipſam ſecum in conſilium adhibuerit; rebus omnibus quas mundi continet ambitus, in vnius hominis gratiam à ſummo Numine procreatis, tam commodè vtetur, iis vt nunquam, aut tantùm lèuiter offendatur; grauiter verò qui ducetur conſuetudine, quæ plerumque rerum benè gerendarum peſſimus author eſt, peſſimúſque Tyrannus, à quo arctiùs quiſque conſtringetur, quo ſtudioſiùs ipſi paruerit: minùs quidem lædunt conſueta: ſed ita, vt vehementiùs inſueta omnia: quare haud ſecus ac nimis ocioſa vita, parum tuta, quia poteſt incidere laboris neceſſitas; pari modo pręſtat ita omni viuendi rationi aſſueſcere, vt nulli omnino aſſueſcas, quò ſi aliam ac ſubinde aliam inire cogaris, nullo diſpendio, nulláque id fiat ſanitatis iniuriâ.

Ergo eadem viuendi ratio ſanis non perpetuò ſeruanda.



Proponebat Lutetiæ ALANVS LAMY Cadomenſis, A. R. S. H. M. DC. LIII.